


quantò plura collecta iacent, tantò magis auge-  
tur, diutiùsque durat putrefactio, ita etiam híc  
fit, vt si semel lues ciuitatem aliquã populosam  
inuaferit, indies malum amplificari, & diu fo-  
ueri videamus: quod in rariori, siquidem reli-  
qua quoque obseruentur quæ diximus, & di-  
cturi sumus, non ita solet contingere.

*De ordine, qui in rerum neces-  
sariarum venditione em-  
tionéque obseruan-  
dus est.*

C A P. VII.



**T**QVE hæc de ordine inter  
ciues seruâdo: deinde de re-  
rum necessariarum vendi-  
tione emtionéque dispicién-  
dum est: vt quemadmodum  
antèa corpori de medicamé-  
tis, ac animæ de sacrificiis Sa-  
cramentis que prospectum est: ita quoque de a-  
limentis, obsoniis, cibo ac potu ciuibus consu-  
latur. Si enim rectè dixit Diogenianus, ἐκτέ-  
λων νοσῆμεν οἷς κὺζῶμεν, maximè certè interest, nō  
tantùm res noxias in vrbem non conuehi, ve-  
rùm etiam bonas vtilésque afferri, sed ea proui-

*Th. Taber.  
de pest. lib.  
8.*

*Res in Si-  
et fugien-  
da.*

dentia, ut quæ importanda sunt, minimo cum periculo prostituantur, vendanturque. Itaque hinc leges condendæ sunt, quæ alimentorum genera vendi vel minus liceat: item quo pretio: demum quibus in locis, multa que certa à conseruatoribus constituenda aduersus transgressores.

Primum igitur seuerè prohibebitur, ne quis vel rusticorum, vel incolarum venum exponat aut vendat, dulcia cerasa, pruna (exceptis Vngaricis & Damascenis) vuas ficusque recentes, persica, pira, pomæque mollia & dulcia, melones, pepones, & minimè omnium cucumeres, qui (Galeno teste) plurimum habent succi ad putrefactionem procliuus. Cucurbitas permittit Marsil. Ficius: Rhazes verò, qui Aegyptum incoluit, vbi magna est ficcitas, olera & fructus horarios frigidus & humidus tempore multum calido concedit: quod nobis hac regione vix imitari licebit. Deinde sedulo cauebitur, ne quis vitiosos, vel malè curatos pisces & carnes publicè diuendat: quibus annumerari debet, quamuis vix prohiberi possint, nimum teneræ ætatis agnina, vitulinæque caro: quod admodum vitiosè in magnis quibusdam ciuitatibus fieri solet: item pisces non squamosi, molles, in lacubus putridis capti, quales sunt anguillæ, murenæ, lampretæ, albuli, bustomi. Dicit enim vix potest, quàm aptum pabulum hæc omnia putredini suppeditent. Horum igitur omnium loco non  
modò

modò admittenda, sed etiam expetenda, ac per *Rescuisa*  
 conseruatores procuranda, quæ corpori sunt sa<sup>pta.</sup>  
 lutaria, & laudabiles generant succos, quæq; in-  
 grauescenti malo impedimentum quoddam ef-  
 se possint: vt sunt inter horarios fructus pruna  
 Damascena, & Vngarica sicca, vux passæ & Co-  
 rinthiacæ, persica acida, pira quæ in hyemem re-  
 poni solent, cydonia, amygdalæ amaræ, cappa-  
 res, nuces iuglandes, cerasa acetosa, & in primis  
 mala granata, aurea, limones & citria. Inter o-  
 lera sunt lactuca, intybus, cicerbita, portulaca,  
 atriplex, spinachia, asparagus, carduus ben. me-  
 lissa, acetosa, borrago, pimpinella, ruta, betoni-  
 ca, rosmarinus, saluia, isopus, cerefolium, pe-  
 troselinum, fœniculum & similia. Quæ cum sin-  
 guli non habeant, nec habere possint, non erit  
 inutile, quotidie ab olitoribus in forum adfer-  
 ri. Pisces, quos eo tēpore licebit vendere (quā-  
 uis hoc singulæ regiones pro natura loci metiē-  
 tur, non enim omnis fert omnia tellus) erunt sa-  
 xatiles maximè, sicut sunt gobiones, funduli,  
 percæ, lucij, prafini, vari, passeres, pungititij, al-  
 burni, mugiles barbati, carpiones. Hos autem  
 cum aceto vel vino non forti coquendos esse,  
 quamuis sit haud minimum valetudinis tuen-  
 dæ antidotum, tamen ad præsens institutū non  
 pertinet. Nam hîc Magistratus officiū, non pri-  
 uatorū diætā describitur. Carnes verò salubres  
 erunt pulli gallinacei, capones, gallinæ, perdi-  
 ces, phasiani, palumbi, turtures, columbæ, atta-

genes, turdi, sturni, passeruli, frigillæ, omnésq; auiculæ, quæ in syluis, dumetis & vinetis degūt: item hœdi, vitulique bene pasti & ætate mediocres, capreoli, lepores, cerui, cuniculi, boues, verueces. Nec omnino mittenda aromata, quorum vsum ditiores (nam tenuiores fame & labore pro condimentis vtuntur) velut antidota in condiendis cibis adhibere possunt. Sint autē cinnamomum, crocus, nux myristica, macis, chariophylli, piper integrum, nā illius vis cum sit in tenui substantia, facile coquendo dissoluitur, & calfacit nimium. Atque hæc de cibis dicta sunt.

*Cereuisia.*

De potu verò non minor cura adhibeatur, vt nihil omnino admittatur, quod aliqua ex parte putredini fomentum esse queat: & rursus quod sit salubrius, ex consilio medicorum cuiq; Reip. pro loci consuetudine procuretur. Nolim quicquam in aliorum præiudicium affirmare quidem: tamen non omnia potus genera æquè possum probare. Manardus ætate nostra doctissimus, celeberrimúsque medicus omnem cereuisiam in hoc morbo vituperat: sed quia ille natione fuit Italus, & soli vino assuetus (Italia enim cereuisiam nostram vix nouit) non magni hac in parte iudicium eius faciendum. Pro certo enim affirmare possum, Bremensem nostram duplicem & simplicem, item plerasque alias vicinarum vrbiū, non esse insalubres, præsertim si sint claræ, bene coctæ, mediocriter lupulatæ,  
&

& colore non intenso. Sic enim corpora exsiccare, vires corroborare, spiritus illustrare & quodam modo instar vini εὐφραίνειν (vt psalmista loquitur) τὴν καρδίαν τῶ ἀνθρώπου, possunt. Qui singularum vires cupit cognoscere, legat quorundam hac de re scriptos libellos, & exigat tamen ad præscriptam modò normam, quæ accommodata est temporis statui, cuius respectu nos hoc vniversum consilium direximus. Dixi primo loco de cereuisia, quia hæc primum & potissimum vsum apud nos habet: interim tamen non diffiteor, quin vinum præcipuas laudes mereatur, & longè præstet tum cereuisiæ, tum aliis omnibus potionis generibus, si syncerū & non nimium potēs sit. Cōmendatur verò præcipuè album, purū, maturū, odoratū, vetus, austerū potiùs quàm dulce: nec improbatur rubellum, tenuis substantiæ, mediocris ætatis, caput non feriens. Idem de factitiis, exque absynthio, carduoben. betonica, saluia, roremarino cōpositis, iudicium esto. Quibus autem hæc, quando & quantum vsurpanda sint, ad hunc locum non pertinet. Huc igitur vsque de poculētis & esculentis: reliqua enim, quæ in victum veniunt, vt pote minùs necessaria, ne minutissima quæque scrupulosè sectari videar, prudens omitto.

Porrò de pretio singularū rerum, quod fuit secundo loco propositum, illud duntaxat monere possum, vt ea adhibeatur per cōseruatores iustitia, non solūm quam commutatione vel

*De rerum pretio.*

pretio rerum æquabilē, & mercibus parem requirit Aristoteles, sed etiam quæ in personarum conditione tenuitatem & facultates emtorum spectet, idq; ita, vt dum hisce consulitur, illi minimè grauentur. Et quia iudicium hîc difficile, relinquenda hæc æquitas venditoribus, cum ista commonefactione, & Christiana recordatione, vt non tam auarè quæstum (quod minimè decet hoc rerum statu) quàm illud Apostoli dictum meditentur: Charitas non quærit, quæ sua sunt: item: qui volunt ditescere, incidunt in tentationes: item, nemo circumueniat fratrem suum in negotio. Quid enim iuuat tanto studio corradere, à quibus singulo momento vt abripiare, formidādum est? Stulte (inquit Christus ad diuitem Euangelicū, quod ego hîc verè quoque ad te, ô quisquis in communi hac miseria lucrum iniquum captas, dicere possum) hac nocte repetetur à te anima tua, & hæc quæ collegisti, cuius erunt? Quamobrem sic potiùs nobis statuendum, nos hîc nihil propriij possidere, sed tantummodò alieni æris dispensatores esse. Si quid Domino cum labore honestè acquisuerimus, laborem finiturum, mercedē autem permanentem: siñ cōtrà illiberali & iniqua exactione proximum grauauerimus, iniquitatem quidem mansuram, lucrum verò finiturum esse. Præter hæc requiro etiam hîc, vt Principes, & quicumque vectigalia habent, de iure suo aliquid remittant illis ciuitatibus & populis, qui  
hac

hac calamitate afflicti, tum propriis impendiis  
nimium grauatur, tum solita commercia exer-  
cere non possunt.

Postremò etiam de loco, in quo singula quæ *De locis & ditioni a-*  
ad cibum potúmque pertinēt, venundáda sint, *ptis.*  
aliquid addendum est. Nam vnum in forum o-  
mnia comportari, minimè videtur consultum.  
Ita enim necesse fuerit, ingentem hominum tur-  
bam conuenire, & rerum variarum, sæpe etiam  
fordidarum ac grauiter olentium odores com-  
misceri. Quod procul dubio non exiguam oc-  
casionem daturum est putredinis, quam omni  
diligentia vitandam esse, si contagium vitare  
voluerimus, iam sæpe dictum est. Constituenda  
igitur plura loca in diuersis vrbis partibus, vbi  
ea requirantur, quæ ad victum spectant, & cuiq;  
necessaria sunt. Sit quoque diuersum carniũ &  
piscium forum, item olerum, fructuúmque, vt  
omnia incommoda, quæ ex promiscua ho-  
minum multitudine, & rerum vena-  
lium transportatione emerge-  
re possint, sedulò e-  
uitentur.

